

BOETII
DE INSTITUTIONE ARITHMETICA
LIBRI DUO.

NOTARUM EXPLICATIO.

- a** = codex Bambergensis HL. IV. 12. (F, 20) saec. X. splendidissime ornatus, quem Gerbertum ad Ottonem tertium misisse maxime est verisimile. Non tamen eadem est lectionum praestantia. Multis enim locis correctoris manu emendatis haud pauci emendandi relictis sunt. Ex capitulo inscriptionibus quindecim alieno loco sunt positae. Nec fortunam aequam nactus est sex vel septem foliis inter secundi libri caput tricesimum septimum et quadragagesimum tertium et ultimo folio cum fine capituli quinquagesimi quarti deperditis.
- b** = codex Bambergensis HL. IV. 11. (F, 16) saec. X., cuius lectiones ubique fere sunt meliores. Multa quoque supra versus et in margine manu non multo recentiore sunt adnotata, quae in aliis codicibus vel maiore vel non minore probabilitate legebantur.
- c** = codex Bambergensis HL. IV. 14. (F, 3) saec. X. pulcherrime scriptus, non diligentissime. Multa enim singula vocabula sunt omissa, maiores lacunae inveniuntur quinque. Propior tamen accedit ad **b** quam ad **a**.
- d** = codex Bambergensis HL. IV. 13. (F, 26) saec. XI., cui ita similitudo est cum **c**, ut compluribus locis meliora praebeat. Multa supra versus et in margine secunda manu sunt addita.